



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXVI. Gregorii Papae I. Ad Eumdem. Castigationem iniungit illorum  
qui sacra vasa & ministeria ecclesiastica Iudaeis vendiderunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

*Mense Augusto.*EPISTOLA LXVI.  
GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Castigationem iniungit illorum qui sacra vasa &amp; ministeria ecclesiastica Iudæis vendiderunt.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

**F**VSCVS archiater ardore fidei prouocatus preces effudit, dicens Opilionem diaconum, sed & seruum Dei Crescentium, clericos \* Venafranæ ecclesiæ, oblitos timorem futuri iudicii ministeria antefatæ ecclesiæ Hebræo cuidam, quod dici nefas est, vendidisse: id est, in argento calices duos, coronas cum delphinis duas, & de aliis coronis lilia, pallia maiora sex, & minora septem. Et ideo mox vt præsentem iussionem experientia tua susceperit, memoratos ecclesiasticos ad se faciat indifferenter occurrere, & requisita veritate, si ita esse sicut suggestum est constiterit, memoratum Hebræum, qui oblitus vigorem legum præsumpsit sacra ciuilitate comparare, per iudicem prouinciæ faciat conueniri, & sine aliqua mora antefata ministeria restituere compellatur, vt ex eis sapefatæ ecclesiæ nihil possit imminui. Ipsum autem diaconum vel clericos, qui tantum nefas commiserunt, in pœnitentia relegare non differas, vt tale tantumque delictum suis lacrymis possint diluere.

EPISTOLA LXVII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM.

Vt exteriorem curam monasterii Fausto commendet.

*Gregorius Petro subdiacono Siciliae.*

**S**ICVT studii nostri esse condecet a litigiis foralibus monachos submouere, vt diuinis ministeriis pie ac solerter inuigilent, ita necesse est nostra prouisione quemadmodum negotia eorum disponi debeant ordinare, ne distenta mens per varias causarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum eneruata torpescat. Præ-

*Concil. Tom. 13.*

Ff ij